

tur; » et ex l. *Jubemus*, unica, cod. *De monopolis*, ubi gravissime prohibetur sub pœna privationis omnium bonorum, et exsilii perpetui, ne aliquis, aut aliqui obtineant, ut per ipsos solos merces aliqua vendantur, et sub pœna 40 librarum auri prohibetur, ne mercatores inter se conveniant de non vendenda merce infra certum pretium, vel de non emenda ultra tale pretium. Et ne artifices, aliique operarii conveniant, ne unus prosequatur opus ab alio cœptum, et hujusmodi. *Vide in cit. Cod. dictam legem*, ubi plura similia monopolia prohibentur sub pœna privationis omnium bonorum, et exsilii perpetui, ibi: « Si quis autem monopolium ausus fuerit exercere, bonis propriis exspoliatus, perpetuitate damnetur exsilii. » *Vide verb. CONTRACT. EMPTION.*, art. 1, num. 44 et 45.

(10. Possunt autem principes seu magistratus ex justa causa licite concedere uni, vel pluribus, ut ipsi soli certas merces vendant, ut sic illi curam, et sollicitudinem habeant providendi de abundantia mercium copia populo necessaria, vel de aliqua mercium specie populo valde utili, quia sine tali privilegio non reperiretur, qui vellet talem mercium abundantiam, vel speciem ad reipublicæ beneficium, et commodum providere, ne se exponeret periculo amittendi magnos sumptus sine lucro. Sic etiam licite conceduntur typographis et bibliopolis privilegia, ut ipsi soli vendant tales libros. Sicuti et inventoribus alicujus machinæ, seu artificii reipublicæ utilis justissime in præmium suæ inventionis talia privilegia conceduntur, cum sic ad reipublicæ beneficium foveatur, et promoveatur alacritas, et industria inventorum, auctorum, typographorum, quorum alacritas et industria potius in maximum reipublicæ detrimentum removeretur, si alii, qui non laboraverunt, possent eorum metere messes, et in labores eorum introire eaque libere ac ipsi vendendo eorum operas.

(11. Imo principes talia, et similia privilegia, v. g. quod pauci soli privative quoad alios possint vendere quædam specialia vitæ actualia, aromata, tabacum, et hujusmodi, vendere solent ad subveniendum necessitatibus urgentibus in bonum commune. Ad cujus tamen justitiam, et ad evitandum monopolium debent concurrere conditiones, quas diximus requiri sub verb. *GABELLA*, ad impositionem tributi, seu gabellæ; et considerandum est, an bonum commune, ad quod talia privilegia venduntur, et utilitas communis, quæ ex tali venditione resultat, præponderet damno, et gravamini, quod subditis ex tali venditione accessit. Alias sicut tributum, seu gabella, sic talis ven-

SUMMARIUM.

1. Montes pietatis quid sint? — 2. Montes pietatis unde originem habuerint, et qui primi fuerint eorum inventores, et promotores? — 3. Primus mons pietatis erectus fuit Perusii. Deinde in fere omnibus Italiae urbibus, id semper suadentibus, et propu-

ditio injusta esset, cum obligatione restituendi tam ex parte vendentis, quam ex parte ementis talia privilegia. Sic expresse card. de Lugo, tom. II, disp. 26, sect. 2, n. 171; Molina, Lessius, Salas, et alii passim. *Vide verb. GABELLA*.

(12. Monopolia super segetibus, leguminibus, olivis, et hujusmodi, rigorosis sub pœnis prohibentur; *Benedict. XIV*, tom. II, constitut. 53, incip. *Quo die*. (13. Monopolii nomine non intelligitur licita et honesta mercatura, qua merces in uno loco emptæ, ad alium locum vendendæ deferuntur. Idem, *ibid.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(14. Varii varie definiunt monopolium. At opus haud est de accurata hujus vitii definitione allaborare, cum ex modis, quibus monopolium committitur facile, quid sit, cognosci possit.

(15. Prostat hanc in rem saluberrima imperatoris Zenonis constitutio, quæ habetur in leg. unic. cod. *De monopol.* Ex ea facili negotio quot monopoliorum species, et quæ tam monopolis, quam illis, qui se pactis labem monopolicam sapientibus constringunt, pœna infligenda sit, colligere licet.

(16. Sunt autem monopolii species palmariæ tres. I. Quod quis monopolium committat, quando certum mercaturæ genus, e. g. vestium, librorum, etc. sibi arrogat, ut vendere solus possit. II. (17. Incurrunt crimen hoc ii, qui, illicitis habitis conventionibus, jurant, vel paciscuntur, ut species diversorum corporum negotiationis non minoris, quam inter se statuerint, vendantur. III. (18. Ædificiorum artifices, vel ergolabi, aliorumque diversorum operum professores et balneatores crimen hoc incurrunt, quando pacta inter se componunt, ne quis artifex quod alteri commissum est opus impleat, perficiat, aut injunctam alteri sollicitudinem alter intercipiat. *Vide dict. leg. unic.*, tum quæ in ejus comment. habet Brunnum.

(19. Nota vero prohibita esse monopolia, si per ea certorum mercatorum promoveatur commodum, bonum vero publicum damno afficiatur. Cæterum res aliter se habet, si tendant monopolia in utilitatem reipublicæ, ejusque commodum inde augeatur; tunc enim privatis, non minus consensu principis quam principibus ipsis honesta monopolia exercere fas est hoc fine, ut sufficiens copia rei adsit, qua carere nequimus, et ut ea mercatorum sordibus subtracta æquo semper comparetur pretio. Confer *Stryk., Jurisdic. dissert.*, vol. III, disp. 19, cap. 2, n. 116, et plurib. sequent.

MONTES PIETATIS.

quantibus fratribus Minoribus de Observantia, ad n. 4. — 5. Montes pietatis, quamvis multum controversi ut usurarii, tamen sunt definiti a Sede Apostolica tanquam sine labe usuræ liciti, et meritorii, concessis insuper indulgentiis manus adjuvantes ad ipsos porrigentibus. — 6. Quinimo sub pœna ex-

comm. late sententiæ prohibetur, ne quis contra ipsos audeat prædicare, et disputare. — 7. Tales montes pietatis enumerantur a concilio Tridentino inter alia opera pia. — 8. In montibus pietatis tres potissimum nunc leges existunt, et assignantur. — 9. A Summis Pontificibus non permittuntur montes pietatis ut plurimum erigi, nisi ad præscriptum concilii Lateranensis, et præsertim, ut recipi non possit, nisi quid moderatum non excedens summam duorum, vel trium pro centenariis. — 10. Aliquando tamen ob justas causas permittunt, ut possint recipi quinque pro centenariis. — 11. Montes pietatis erecti sub conditione, quod deponentibus ibi suas pecunias solvant quinque pro centenariis, possunt totidem exigere a suis mutuataris, et adhuc alia duo

(1. Montes pietatis sunt æraria, aut grænarum publica piorum hominum liberalitate ad hunc finem erecta, ut ad ipsa, tanquam ad montem, confidenter refugere possint indigentes, et ea in promptu sint ad mutuandum sub pignoris cautione ipsis indigentibus, et occurrendum usuris, quas pro sua indigentia usurarii, præsertim Judæis solvere cogebantur. *Communis*.

(2. Ex quo enim plurimi usurarii, et præsertim Judæi, observantes temporum et personarum calamitates ex aliorum inopia messem facerent, suas per immoderatas in mutuis usuris brevi fere totam sortem absorbendo, et pauperes Christianos fere ad extremum depauperando, pietate et misericordia motus, B. Barnabas Interamnensis mei Seraphici Ordinis Min. de Observantia, primus omnium Perusii (* Non Perusii, sed Urbiventi (*Orvieti*) primus mons pietatis erectus fuit, et cum id negotii in Apostolica Camera examinatum fuisset jussu Pii II a cardinali Ostiensi tunc Apostolici fisci præfecto (*camerarium* vocant) confirmatus. Ipse tamen Pius Pontifex postea breve pro hoc instituto, quod *Montem Christi* appellabant, dedit 3 Junii an. 1463, quod refert Bernardinus de Busto in *Defensor.*, tr. 2, p. 4. Circa idem tamen tempus Perusinus quoque mons pietatis constitutus fuit *), Montem pietatis excogitavit, promovit, atque erexit, ut sic pauperes Christiani defiles a dictis immoderatis usurariis oppressionibus redimeret. Cum enim Perusii sub Pio II Summo Pontifice conciones ad populum haberet, hoc prius inexcogitatum remedium adinvenit, ut ex cumulo pecuniæ pie collecto exinde mons pietatis nuncupato mutuum præstaretur egenis, accepto pignore, et denariolo, vel summa aliqua per singulos menses detentæ pecuniæ convertendis in stipendium ministrorum, aliasque ad id necessarias expensas. Adinventionis consilium inivit cum Patre Fortunato de Cepolis Perusino ejusdem ordinis Minorum de Observantia, viro utriusque juris peritissimo, qui rem hanc insolitam mature perpendens, insuperque Academiae magistrorum consulens, omnibus istis, nemine dempto, excogitatum approbantibus, statuit id opus plurimum esse laudabile ac pium, ab omni censuræ labe alienum, adeoque summopere promovendum. Inde dictus beatus Barnabas cœpit ea in urbe declamare

necessaria pro expensis faciendis. — 12. Montes pietatis ministri in necessitate præferendi sunt aliis indigentibus. — 13. Montes pietatis ministri pauperes disponentes de bonis montium in proprios usus, tenentur servare conditiones, quas servant alii pauperes. — 14. Montes pietatis ministri disponentes de bonis montium in præjudicium pauperum, ad quid teneantur? — 15. Montes pietatis ministri an possint impendere partem pecuniæ non necessariam subventioni pauperum in proprios usus, et necessitates? — 16. Item, an possint pecuniam montis non solum in proprias necessitates, sed etiam in propria negotia impendere, quando non est necessaria ad usus pauperum. — 17. Alia ad rem cum add. ex aliena manu, allata ad hoc const. Ben. XIII, ad n. 29.

contra insatiabilem Hebræorum cupiditatem, fere totum suis in usuris pauperum Christianorum sanguinem exsurgentem, ac suis ferventissimis, qua privatis, qua publicis exhortationibus pios viros, et divites cives animare, ut collectis, ac collatis elemosynis, cumulum, seu Montem erigerent perpetuo conservandum, ex quo miseris pauperum sublevandis pecuniæ erogarentur, in eundem montem iterum congerendæ. Nec nimium ei insudandum fuit, ut Perusinatorum animos de se pietatis operibus satis addictos ad id inclinaret; * præsertim in pium hoc opus conspirantibus Hermolao Barbaro Veronensi episcopo, urbis illius gubernatore, et Jacobo de Cortona ejusdem Perusinae urbis episcopo. * Ad primam enim concionem ita liberali, ac prompta manu suas pecunias ac facultates cives congegesserunt, ut ad ditissimum ac copiosissimum montem, eumque omnium primum illic erigendum abunde sufficerent. *Wading.*, tom. XIV, alias IX, ad annum 1474, num. 11.

(3. Vix autem excellentissimum hoc misericordiæ genus, et sacrum pauperum levamen innotuit, statim plures habuit acerrimos contradictores, hujusmodi montem pietatis tanquam usurarium damnantes, eo quod ultra sortem quiddam exigeretur. Quapropter, re ad publicam concertationem coram toto magistratu civitatis, magistris, et scholasticis universitatis, clero, et religiosi ordinibus deducta, ac acerrime discussa, et tandem merito pro Minoribus (quorum præcipui defensores erant dicti beatus Barnabas et Fortunatus) lata sententia, confestim cives, præmissa solemnibus supplicatione, uno, alacrique animo piissimum adinventum, et egregie propugnatum, ac defensum a Minoribus de Observantia opus plene stabilierunt. *Wading., loc. cit.*, n. 12.

(4. Eximium hoc Perusinatorum pietatis opus plurimæ, præsertim Italiae, urbes secutæ, ubique id suadentibus Minoritis, et signanter S. Jacobo de Marchia, B. Marco a Bononia, B. Angelo a Clavasio, B. Bernardino a Feltria, Michaelae a Carcauo, Antonio Vercellensi alios pietatis montes erexere. *Wading., loc. cit.*, num. 13. (5. Sed ubique non pauci contradictores obstiterunt qua verbis, qua scriptis, et in specie Cajet., tom. II, opusc. 6; Sotus, lib. VI *De justitia*, q. 1, art. 6, et Silvester, verb. *Usura* 5, q. 4, et eousque processit contentio, ut sermonibus

publicis, et conscriptis variis libris, fuerit respondendum, et tanquam licite sine labe usuræ tales montes pietatis fuerint propugnandi, uti pro talibus juxta Minorum de Observantia piam sententiam recognoverunt plures Summi Pontifices, scilicet Pius II, Paulus II, Sixtus IV, Innocentius VIII, Alexander VI, et præcipue Leo X, qui in concilio Lateranensi, sess. x, sacro approbante universali concilio, relatis variis sententiis, et re mature examinata, dictos montes pietatis uti a dietis sanctis, et in magna ob sanctitatis opinionem existimatione habitis viris adinventos, et promotos, et a supradictis Summis Pontificibus approbatos, licitos, et pios, atque meritorios etiam cum indulgentiarum acquisitione esse definivit, edita ad id expresse constit. incip. *Inter multiples*, in qua § 4 sic habet: « Nos... sacro approbante concilio, declaramus, et definimus, montes pietatis antedictos per republicas institutos, et auctoritate Sedis Apostolicæ hactenus probatos, in quibus pro eorum impensis, et indemnitate aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas, et aliarum rerum ad illorum conservationem (ut præfertur) pertinentium, pro eorum indemnitate duntaxat ultra sortem absque lucro eorumdem montium recipitur, neque specimen mali præferre, nec peccandi incentivum præstare, neque ullo pacto improbari; quinimo meritorium esse, ac laudari, et probari, debere tale mutuuum minime usurarium putari, licereque illorum pietatem et misericordiam populis prædicare, etiam cum indulgentiis a sancta Sede Apostolica eam ob causam concessis. » Wading., *loc. cit.*, n. 13.

(6. Quinimo Leo X in eadem constitutione, § 5, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibet, ne quis de cætero contra dictos montes prædicet, aut verbis, vel scriptis audeat disputare, ibi: « Omnes autem religiosas et ecclesiasticas personas, qui contra præsentis declarationis, et sanctionis formam de cætero prædicare, seu disputare verbo vel scriptis ausi fuerint, excommunicationis latæ sententiæ pœnam, privilegio quocunque non obstante, incurere volumus. »

(7. Hinc tales montes pietatis a concil. Trid., sess. xxii, cap. 8, *De reformat.*, inter alia opera pia connumerantur.

(8. In dd. montibus pietatis tres potissimum nunc leges existunt. Prima, ut mutuuum usque ad certam quantitatem detur non divitibus, sed pauperibus. Secunda est, ut mutuarii dent pignus a ministris montium custodiendum, et exinde vendendum, si præfixo tempore mutuuum non restituatur, ut ex pretio montes recuperent suam sortem, et mutuarii residuum, si quod sit, tanquam suum recipiant. Tertia, quia pro custodia et conservatione pignorum, pro conductione domus, pro alimentis, et stipendiis ministrorum, et aliis ejusmodi, expensæ continuæ fiunt, quæ, si ex ipsis montium pecuniis deducerentur, summa capitalis in Reipublicæ pauperum detrimen-

tum brevi deficeret, exigitur a singulis mutuatariis sine ipsorum montium lucro aliquid exiguum ultra sortem v. gr. duo, vel tres in anno pro centum.

(9. Unde a Summis Pontificibus non permittuntur montes pietatis ut plurimum erigi, nisi ad præscriptum concilii Lateranensis, et præsertim, ut recipi non possit, nisi quid moderatum pro expensis ministrorum, et ipsorum montium non excedens summam trium pro centenariis, ut declaravit sacra cong. Conc. in *Avenionen.* 26 Maii 1612; in *Tudertina* 17 Augusti 1626; in *Theatina* 5 Julii 1627; in *Lucerien.* 27 Maii 1643, et in *Mutinensi de finali* 22 Aug. 1737, censuit lucrum pignorum non posse permitti ultra tria pro centenariis, et cum clausula, si dicta summa sit necessaria pro ministrorum salario, et aliis expensis montis subeundis; vel bina, ut in *Cremonen.* 31 Maii 1580, et in *Vercell.* 8 Octob. 1628, vel singula tantum, si sufficient, ut in *Messanen.* 11 Aprilis 1685 et in aliis sæpe, rejecta opinione contraria. Quinimo die 28 Aug. 1582 declaravit, nullo modo permitti debere, ut detur pecunia morti ad finem consequendi ex ea aliquos fructus licet minimos. Et si quæ sub hac conditione mutuata inveniatur, omnino restituatur. Et sacra congregat. super Episcopis, et Regularibus declaravit, quod, si mons potest manuteneri solvendo etiam mercedem operariis, et aliis ministris ex suis propriis redditibus, nihil exigere potest pro mutuis, alias solummodo tantum id, quantum est necessarium pro supradicta manutentione, et expensis necessariis loci, et ministrorum juxta constitutionem Leonis X in conc. Lat., ita in *Contronen.* 28 April. 1599, et in *Faventina* 6 Septemb. 1604, dummodo non excedant tria pro quolibet centenariis, ut in *Viglevanen.* 19 Jan. 1607, et in *Derthonen.* 11 August. 1625, vel ad summum quaterna, ut in *eadem Contronen.* 28 April. 1599, sic ad litteram Pignatell., tom. IV, consul. 153, n. 4. (10. Qui *ibid.*, n. 5, ad primam controversiam: « An impertienda sit licentia erigendi montem, qui volentibus apud ipsum deponere proprias pecunias, solvat lucrum ad rationem quinque pro centenariis, idque lucrum pro sui indemnitate exigat a suis mutuatariis? » Sic præcise subjungit: « At nihilominus ob causam necessariæ sublevationis pauperum consueverunt ex indulto Pontificis aliquando dictam summam concedere, et in specie fuit concessum monti pietatis Bononiæ, Mutinæ, Veronæ, et Ferrariæ, ut in indulto, quod legitur apud Pasqualig. *Decis. moral.*, dec. 133, n. 6. Idque ratione lucri cessantis, et damni emergentis, seu indemnitis ipsorum deponentium, ut latius post alios firmat Pasqualig., n. 11 et seq., ubi etiam n. 18 respondet ad cap. *Super eo*, De usur., quod confirmat dec. 184, per tot., et dec. seq., n. 6 et 7. Unde nonnisi cum temeritate asseri potest, Summos Pontifices, eorumque ac curiæ Romanæ officiales, qui diligentissimi esse solent, ac prudentissimi, errasse, ut ponderat Salon., quæst. 78, sub-

n. 3, art. 3, et latissime comprobatur Fragos. *De regim. reipubl. eccles.*, part. I, lib. vi, tota disput. 20. » Hæc ille.

(11. Ad secundam autem controversiam: « An idem mons pietatis exponens postea mutuatariis dictas pecunias possit exigere ab iis septem pro centenariis? » Idem Pignatell., *loc. cit.*, n. 13, merito respondet, posito, quod mons erigatur sub conditione, quod deponentibus solvat quinque pro centenariis, sequi quod totidem exigere possit a suis mutuatariis cum reliquis duobus, quæ sunt omnino necessaria pro omnibus expensis pro montis conservatione, juxta citatam constitutionem Leonis X incipient., *Inter multiples*. Et sic tenent Abbas in cap. in *Civitate*, circa finem, De usuris; Alexander, in l. *Item quia*, § 1, n. 2, ff. *De pactis*; Rosignol., *De mutuo et usuris*, contract. 3, disquisit. 5, § 1, n. 2; Azorius, part. III, lib. v, cap. 9, quæst. 2, citans alios; Reginald., lib. xxv, cap. 11, n. 209; Philarch, lib. v *De offic. sacerdot.*, cap. 21, § *Quo ad primum*, Scacc., *De commerc.*, § 1, q. 1, n. 151 et 162, cum seq.; Molina, tom. I, *De instit.*, disput. 325; Bonacina, tom. II, disp. 3, *De contract.*, q. 3, punct. 12, n. 3; Lessius, *De justit.*, dub. 23, n. 194; Filliuc., tract. 34, tom. II, c. 9, n. 183, et Pasqualig., *Decis. mor.*, 186, a n. 4, decis. 187, n. 2 et 3, decis. 188, cum binis seq., et decis. 204, n. 2, ita ut ea dec. 186, n. 5, adeo hanc sententiam veram existimet, ut oppositam censeat non posse probabiliter sustineri.

(12. Montis pietatis ministri in necessitate præferendi sunt aliis indigentibus. Rosignol., *De mutuo et usuris*, contract. 3, disquisit. 5, n. 3, et alii.

(13. Montis pietatis ministri pauperes disponentes de bonis montium in proprios usus, tenentur servare omnes condiciones, quas servant alii pauperes. Rosignol., l. c., n. 6, et alii passim.

(14. Montis pietatis ministri disponentes de bonis montis in præjudicium pauperum tenentur ad compensandum eis, si constet quinam fuerint. (15. Secus ad exonerationem debiti erga ipsum montem. Rosignol., l. c., n. 5. Vide ipsum ibi, ubi sub n. 2 concludit et probat, quod montis pietatis ministri possunt impendere partem non necessariam subventioni pauperum in proprios usus: imo etiam partem aliquam necessariam, si ipsi vere sint pauperes. (16. Et sub n. 3 concludit et probat, quod montis pietatis ministri possunt pecuniam montis, non solum in proprias necessitates, sed etiam in propria negotia impendere, quando non est necessaria ad usus pauperum, dummodo tamen nullum subsit periculum amissionis et eventiente casu, quo mons ipsa pecunia indigeat, sit prompta, ac parata, alias, supervenientibus pauperibus, tunc certe illi providere tenerentur alia pecunia, vel non providendo, tenerentur ad compensationem damnorum ipsis pauperibus provenientium et ratio conclusionis est, qui ex hoc nulla oritur læsio in montem nec gravamen in pauperes. Non pri-

mum, quia nihil obesset monti, sive pecunia ibi servetur mortua, sive implicetur. Non secundum, quia jam sufficienter omnibus pauperibus provisum supponitur. Non de facili tamen est id consulendum et ad praxim reducendum, cum non pauca subsint pericula in detrimentum montium et gravamen pauperum.

(17. In montibus pietatis de novo erigendis nihil ultra sortem exigere potest ab iis, qui mutuuum ab eo accipiunt, etiam titulo expensarum, « nisi Apostolicæ Sedis dispensatione, » ut ex decreto S. congreg. Concilii in *causa Neapolitana* die 7 Februarii 1737. Sicut neque absque beneplacito ejusdem Sedis plus exigere potest, quam antea fuerit consuetum, etiamsi hoc augmentum necessarium censeatur pro sustentatione ministrorum, ut ex alio decreto sac. ejusdem congregat. Si vero plus exigatur quam opus sit ad expensas necessarias, tenetur episcopus moderari istas usuras; tutius est autem, quod consulat de hac re sac. congreg. *De synodo dioc.*, lib. VII, cap. 48, § 2 et 3*. Per sese, ut singuli montes pietatis erigantur, vel etiam causis piis adnumerentur, auctoritas principis et episcopi sufficit, si forma a Lateranensi concilio præscripta servetur. Dispensatione itaque Apostolica erigi ii solum montes possunt, qui ab ea forma vel parum abluunt; quo spectant sac. congregationis decreta hic indicata*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(18. Montes quos vocant *pietatis* constituuntur in urbibus, ut hac ratione publicis necessitatibus, vel pauperibus consulatur. Justitia autem horum montium pendet ex legibus, quibus constituti sunt, vel exercentur. Agendum ideo de speciebus eorum saltem usitatoribus et quid de illis sentiendum sit, paucis exponendum.

(19. Prima species est, cum acervus ille publicæ pecuniæ gratis indigentibus distribuitur, ita ut debitores nihil restituere ultra sortem teneantur. De ejus autem justitia non est quod verba faciamus, nam ea per se patet.

(20. Altera species est, cum pecunia ea lege distribuitur indigentibus, ut præsent ultra sortem modicum quid pro modo et ratione pecuniæ acceptæ et temporis, ad solvenda stipendia eorum, qui montem regunt et ad explicanda ea omnia, quæ necessaria sunt ad montis conservationem.

(21. De justitia autem hujus speciei, quamvis olim in utramque partem maxima animorum contentione fuerit disputatum, probata tamen ea fuit a Paulo II et aliis Pontificibus, tum demum a Leone X in concilio Lateranensi, sess. x, ut refert auctor, n. 5 et sequent.

(22. Cavendum tamen in hac specie, ne plus exigatur, quam sit necessarium ad montis conservationem. Illud enim, quod superexigitur, licet videatur rebus montis accrescere, illicitum est et restitutioni obnoxium, quia concilium Lateranense ea-

tenus permittit ultra sortem aliquid præstari, quatenus res montis salva maneat, ut indicant verba illa « absque montium hujusmodi lucro, » et, ut refert Cajetanus, ita Paulus II legato suo Perusino rescripsit.

(23. Idque procedit, etiamsi hoc quod superexigitur erogandum sit in usus pios. Confer Clericat., *Decis. miscellan.*, 42, n. 5.

(24. Curandum et illud est, ne majores expensæ fiant, vel plures ministri adhibeantur, quam opus sit ad rem montis administrandam, ne pauperes vexentur gravioribus exactionibus. Hoc enim, si non usurarium, injustum saltem est.

(25. Controversia vero non levis est, an ad justitiam hujus speciei montium requiratur quod institutores ipsorum montium renuntient dominio pecuniæ, aut tritici in communitatem pauperum, vel obligent se civiliter et perpetuo, vel pro multo tempore ad mutuandum egenis civitatis, aut populi? Et quidquid senserint Lopez, Salton alique, prævaluit opinio negativa, quam tenet inter alios cardin. de Lugo, disputat. 25, n. 190 et sequent.

(26. Tertia species est eorum montium, quorum ærarium constat ex pecunia fœnore conducta, vel sub censibus accepta, eaque propter coguntur ii qui ad hanc mensam accedunt, non solum reficere sumptus et expensas montis, sed etiam usuras, vel census, quæ mons patitur, ut necessitatibus accipientium possit succurrere. Hanc etiam speciem licitam esse tenent post alios cardin. de Lug. *loc. cit.*, n. 197 et sequent. Sed non est facile permittenda.

(27. Ii vero, qui montibus conterunt pecunias, nil ultra sortem accipere possunt titulo depositi, vel mutui, nisi quatenus eorum intersit.

(28. Quid si mons usuras a creditoribus recuperet, veluti injuste et indebite exactas? teneretur eas restituere ipsis pauperibus, qui coacti fuerunt easdem ipsi monti solvere, idque, quia titulus ille damni emergentis ad non titulum reduceretur et consequenter condicere pauperes valerent l. 1 et II, ff. *De conduct. sine caus.*, l. XVII, in fin., ff. *Commodati*, l. 1, cod. *De re judic.*

(102) *Responsio auctoris.* — Theologus noster sic sua hæc addenda incipit: « Vide, amice lector, quam consona sit Ferrariana doctrina, n. 16, expressa cum sana theologia. At non est cur tantum indebite exaggeret contra Ferrarianam doctrinam, ibi est sub aliis numeris traditam. » Videat, quæso, amicus lector, quæ ego ibi sub n. 12, 13, 14 et 16 trado ex doctiss. Rosignolo, uno ex primariis theologis, et consultoribus sui temporis in amplissima Mediolanensis civitate. Videat, et perpendat meam expositionem in *Summario* sub dict. cap. 16, et quæ concludo sub eodem num. in corpore dicens: « Non de facili tamen est id consulendum, et ad praxim reducendum, quum non pauca subsint pericula in detrimentum montium, et gravamen pauperum. » Videat

ALIE ADDITIONES

(29. Vide, amice lector (102), quam consona sit Ferrariana doctrina n. 16 expressa cum sana theologia. At ipse, montis pietatis ministros partem fructuum, vel in proprios usus, vel etiam in propria negotia impendere posse; at sana theologia docet hujusmodi ministros, quibus pro ministerio debitum stipendium assignatum est, nullum dominium habere in bona montium pietatis, sed meros administratores esse, ac custodes cum necessariæ, tum etiam superflue portionis, ac custodire et administrare oportere quidquid ad hujusmodi montes pertinet juxta determinationem superiorum, aut magistratum, qui hujusmodi locis piis præsent, ac jus in illorum bona obtineant. Si domini non sunt, sed meri ministri; ergo bona montium pro arbitrio in eleemosynam erogare non valent; eleemosynam enim ex nostris, non ex alienis bonis distribuere in pauperes debemus. Ac multo minus in propria negotia impendere hujusmodi bona possunt. Hoc enim etiam cum fidei administratione pugnat et cum ipsa montium pietatis institutione, quæ in favorem pauperum, non ministrorum facta est. Accedit etiam, hujusmodi doctrinam periculi plenam esse, quippe quæ viam aperit illis abusibus, qui occasionem dedere constitutioni Benedicti XIII quam hic integram recensemus.

« BENEDICTUS EPISCOPUS,

« SERVUS SERVORUM DEI.

« Ad perpetuam rei memoriam.

« § 1. Jam dudum non sine ingenti animi dolore aures nostras perturbat frequens rumor de nonnullis in hac alma Urbe nostra alieni æris et pignorum depositariis arcariis, custodibus, subcustodibus, exactoribus, rationariis et computorum scriptoribus, aliisque hujus generis officialibus et ministris, qui fide sibi data, suique muneris commodo nefarie abutentes ut voluptatibus, aliisque execrandis male agendi occasionibus causisque improbe obtemperarent, viliisque alacrius et liberius indulgerent, rem, ac pecuniam sibi creditam, aut depositam, inque arca servatam, pro arbitrio usurpantes, pignora apud se in custodia iterum oppignorave-

et perpendat allatam a theologo hic constitutionem Benedicti XIII *Jamdudum*, quæ est 286 in ordine Bullarii, in cujus summario sic expresse habetur: « Infiguntur pœnæ in depositarios, ministros, etc., qui alienam pecuniam sibi creditam, et depositam fraudant; » de quibus fraudulentis depositariis, et ministris loquitur ipsa constitutio, de quibus ego nec verbum facio, probe sciens, quod fraus, et dolus nemini debet patrocinari, cap. *Cum universorum* 8, De rerum permutatione; cap. *Officii* 14, De testamentis; cap. *Cum dilectus* 8, De religiosis domibus; cap. *Audivimus* 5, De collusion. detegen.; Clement. *Dudum*, § *Hujusmodi*, De sepulturis. Videat demum, et perpendat omnia, et singula, et pro sua eruditione et æquitate pronuntiet.

rint: quod non solum in cameræ nostræ Apostolicæ, sed in montis pietatis et publicarum adnumularios pertinentium mensarum, cæterorumque locorum et piorum operum damnnum longe gravissimum redundavit, propterea quod infames fraudulentis hujusmodi officiales, qui rem suam decoxerant, omnino impares essent integrandis, ac restituendis pecuniis, quas ipsi proprio, vel alieno commodo inservientes, antea pessum dedissent, scientibus et de compacto cum iis participantibus, doloque operam suam conferentibus rationariis, computorum scriptoribus, subscriptoribus, aliisque earumdem mensarum et locorum piorum ministris et officialibus.

« § 2. Nobis etiam innotuit, jam dictos officiales, maximæ suæ temeritati confisos ut actionem criminalem vaferrime declinant vel saltem sua crimina callide palliant, seque justis pœnis in quas incurrisent prava arte subducent permultos speciosos et omnino falsos prætextus excogitasse, quibus judicium impedirent, pœnasque effugerent, quas ob suas culpas se mereri optime ipsi agnoscebant.

« § 3. Nos propterea quibus ex pastoralis officio, humilitatis nostræ divinitus injuncto, maxime incumbit invigilare et sollicitè providere ne hujusmodi crimina impune committantur; opportunam et necessariam duximus his de rebus sententiam exquirere a nobis speciatim indictæ particularis congregationis nonnullorum hujus nostræ Curie Romanæ præsulum, multa rerum cognitione, integritate et doctrina præstantium, quorum sæpe numero coram dilecto filio nostro Hannibale, tituli S. Clementis presbytero cardinali et S. R. E. camerario congregatorum, suffragiis ad nos accurate perlatis undequaque inhærentes in hujusmodi fraudulentos ministros acriter insurgendo, ipsiisque juris rigorem etiam acriorem efficiendo, justum in eos iudicium promulgare decrevimus.

« § 4. Nos ergo vestigiis decessoris nostri Pii papæ V insistentes qui præ cæteris in sua constitutione incipiente: *Postquam*, Kalendis Novembris anni millesimi quingentesimi septuagesimi in lucem edita, decoretos luxuriose viventes, propriisque absumptis substantiis, aliena appetentes, qui variis coloribus grande æs alienum, spe restitutionis faciendæ extorquentes proximo suo illudunt, ceu veros fures et latrones, ultimo supplicio puniendos mandavit, hac nostra perpetuo observanda constitutione in quoscunque hujus generis delinquentes paribus quoque pœnis tanquam in veros fures et latrones animadvertendum esse decernimus, idque effectu ipso omnino fieri volumus et mandamus.

« § 5. Itaque statuimus et jubemus, ne ullus ex depositariis vel arcariis æris publici Cameræ nostræ Apostolicæ et præsertim depositariæ generalis, vectigalium generalium et particularium utriusque annonæ, frumentariæ nimirum et *grasciæ* vulgo dictæ, depositariæ Urbanæ, montisque pietatis

ac mensæ S. Spiritus, et Datarie Apostolicæ summam quantulamcunque ejusmodi æris et pecuniam in suum vel alienum commodum quovis modo convertere unquam possit, inque usum ab eo diversum transferre, ad quem generatim in iisdem locis, tanquam sub tuta et fidei custodia servatur: ita ut si aliquis ex jam dictis depositariis et arcariis hanc legem nostram quomodocunque prævaricatus eamque pecuniam in usum et commodum proprium vel alienum convertere ausus fuerit, tanquam reprobis et infidelis minister, interque infames et reipublicæ proditores connumerandus damnari et puniri possit ac debeat ut gravissimi furti et latrocinii reus secundum leges communes et Romanæ Urbis, statusque ecclesiastici edicta contra latrones jam promulgatas, ratione habita pecuniarum quas in suum vel alienum usum et commodum clam, et furtive converterit. Idque ad easdem regulas in iisdem edictis etiam in furto magno præscriptas, fieri debeat; quotiescunque tamen Camera nostra Apostolica, vel quispian ex locis piis ac mensis supradictis et quilibet dominus ac creditor pecuniæ vel rei depositæ damnnum subiisse compertum fuerit. Ubi vero nullum damnnum illatum inde, fuerit nihilominus jam dicti depositarii et arcarii, inter infames habendi ob culpam infidelitatis, duplicata pœna pecuniaria summæ quam in suum vel alienum commodum converterint puniri debeant. Sed præterea pœnis etiam corporalibus gravibus et gravissimis arbitrio judicis cumulate plectantur, ratione habita qualitatis et circumstantiarum singulorum casuum et factorum quas deprehendere contigerit.

« § 6. Similiter volumus, decernimus et jubemus, ne computorum et rationum scriptores montis pietatis et mensæ S. Spiritus recipere, aut recipiendum et solvendum curare vel facere possint quodcunque mandatum, vel scriptum illorum qui nullas pecunias re ipsa ibidem depositas, vel servatas habuerint. Si autem habuerint, eadem mandata, et scripta recipi, et solvi possint pro ea tantum summa quæ deposita ibidem extiterit. Quod si jam dicti computorum scriptores et rationarii contrafecerint, tunc in eos procedi possit ut debeat pœnis a Nobis in arcarios, et depositarios statutis.

« § 7. Præterea sancimus et declaramus hæc quæ a Nobis lata lege disponuntur in eos pariter locum habere, qui auxiliatores, cooperatores et quocunque alio modo conscii complices ac participes infidelitatis eorum arcariorum et depositariorum extiterint: qui quidem conscii et complices ac participes secundum suam complicitatem et participationem in singulis factis, et casibus, iisdem pœnis omnino puniri debeant, quibus puniendi essent vel punirentur præcipui, et principales rei eadem forma quæ statuta reperitur in publicis edictis superius memoratis, contra reos cooperatores, auxiliatores, complices et participes olim vulgatis.

« § 8. Quia vero gravissimum esset crimen